

LECTOR BENEVOLE.



Uas nunc accipis *Variarum linguarum literas ac notas*, tum & *Orationis Dominicae versiones*: eas memento te debere ANDREÆ illi MULLERO GREIFFENHAGIO. E quibus uti hæ erant in perpaucorum manibus: ita prorsus puto ignorasse eruditos, illas fuisse ab eodem collectas. Nec plus forte constabat de reliquis: quæ hic *de Numismatibus* nonnullis, *de Inscriptionibus*, *de Geographia Mosaica* traduntur. Commode ergo nuper accidit, quum diu satis latuissent in tenebris illæ schedulæ; ac jam essent ignorantia possessorum igne, aut quovis alio genere supplicii infantes pœnas daturæ: ut per hæreditatem in eorum devenirent manus; qui copiam earum petentibus erant facturi. Scriptæ erant, uti cernis, atq; disjectæ: ut illa Sibyllæ Cumanæ folia. Quæ dum colligimus; dum in gratiam lectorum ordinem aliquem iisdem damus: visum est, nec a re ipsa alienum, nec tibi fore, B. L. ingratum, de vita auctoris aliqua præfari; ea nimirum, quæ animam viri indicent, ac merita in bonas literas.

Patriam ANDREAS MULLERUS habuit *Greiffenbagam, Pomeraniæ Transviadrinæ oppidum*. Hujus sive amore, sive, ut a tanta cognominum discerneretur multitudine: non aliter voluit appellari, quam ANDREAS MULLERUS GREIFFENHAGIUS. Cui rei testimonio sunt, cum quas ad amicos & ad me quondam scripsit, literæ: tum opuscula omnia; quæ in vulgus ab ipso sunt edita. *Parentibus* nulla, quod scimus, debuit natalium decora. Honesto tamen genere natus, ex se suis laudem conciliavit. Natus est circa annum seculi superioris trigessimum. Discendi causa *Rostochium* adiit, tum *Gryphiswaldam* ac *Wittebergam*. *Laurum Philosophicam*, quam appellant, consecutus est in *Pomeranis*: in *Saxonia* differendo ac disceptando more *Academiarum*, quid posset, ostendit. Contulit autem se *Rostochium*, haud plus, quam annos natus sedecim. Quo tempore jam in linguis eos habebat profectus: uti & *Latine* & *Græce* & *Ebraice* scriberet poemata. Honores, quos ceperit, ipse indicat duobus versibus: quos iconismo suo, inciso æri, adscripsit:

*Primus in officio DOMINI jam numine * quantum
Ultimus in regno sim, pie Christe, tuo.*

A 2

* Ad